des dimitteret. Sed quia ipse consilio illo sano usus non fuit. Nam
post mortem domini Conradi ipse dictos obsides restituerat, ipse
calumniam huiusmodi passus fuit. Sane postquam ipse dominus
Engelbertus a captivitate Coloniensi fuerat liberatus, consangui-
nei ipsius propter iniuriam in ipsum commissam exacerbati,
videlicet frater ipsius archiepiscopi, dominus de Valkenborch, dux
quoque Lymburgensis, comes de Clivo et nobilis de Hynsbergh anno
a) c. d. C. e. n. d. H. desunt 1. — scilicet — domini 1268 forti armatorum manu contracta civitatem
Coloniensem per quamdam domum muro civitatis adheren-
tem, amplo aditu per murum civitatis per aliquos cives
corruptos favore sive pecuniis patefacto, in eiusdem noctis
intempeste silencio subintraverunt. Sed cives facto huiusmodi
precognito ad arma conclamantes, dictos nobiles vi armata
repulerunt; ubi dictus dominus de Valkenborch, ~~dux quoque~~
frater — archiepiscopi primo congressu occiditur, dux Lymburgensis
capitur, plurimi alii occiduntur, alii fuga dilabuntur. Tandem
quoque post multas clades perpessas idem dictus Engelbertus obdor-
mivit in domino, sepultus in ecclesia Bunnensi. Nam civitas
Coloniensis tunc temporis propter causas supradictas ecclesias-
tico subiacuit interdicto.

Syffridus.

55. Quinquagesimo tertio loco fuit ordinatus in archiepiscopum Coloniensem, sedens sub
Rudolpho et Adolpho Romanorum regibus annis 23 mensibus ~~quinque~~ 5, venerabilis pon-
tifex Syffridus, de domo nobilium de Westerburch natus, prius ecclesie Maguntine
prepositus, vir honoris et fame preconio non indignus. Contra hunc Syffridum
statim post suam ad ecclesiam provectionem multi potentes et nobiles, tam
episcopi ecclesiarum quam layci temporales, vehementer insurgentes, omnem
episcopatum igne et ferro undique invaserunt. Quibus idem archiepis-
copus a sua iuventute armis exercitatus, nec non asperitatis, algoris et
inedie atque vigiliarum expertus, nunc hijs nunc illis vicem viriliter re-
pendebat. Inter quas sue probationis incursiones ipse nobilem Godefridum
comitem de Arnsbergh et filium eius bello pulsos ad gratiam sibi venire
compulit, presidio illorum, quod Neyhem dicitur, capto bellice et destructo.
Idem siquidem Syffridus contra comitem Iuliacensem, sicuti ante-
cessores sui, frequentes guerras agens pro iuribus ecclesie conser-
vandis, cum in hijsdem temporibus ipse comes cum filiis suis
et multis nobilibus atque militibus in civitate Aquensi tunc
temporis ipsi archiepiscopo confederata fuisset interfectus; idem
archiepiscopus opportunum tempus ratus, et ex casu inimicorum
sumens audaciam, et comitatum Iuliacensem hostiliter invadens
et cuncta devastans, oppidum Iuliacense valida cinxit obsidione.
Quo facto, nobiles plurimi de parentela comitis occisi superstites